



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Francisci De Oviedo Madritani, Societatis Iesv,
Theologiæ Professoris, Cursus Philosophicus**

Oviedo, Francisco de

Lvgdvni, M.DC.LI.

V. De his, quæ possunt creari.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95503](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95503)

amandi exercet, quæ non recipiuntur in Deo, sed cum illo identificantur: ergo hoc quod est non posse creaturam operari immanenter, nisi per actionem, quæ subiectum recipiat non oritur ex prædicato immanentie abstractè sumpto, sed ex eo quod talis actio à creatura procedat: ergo eo ipso, quod actio procedat à creatura petit recipi in subiecto. Ergo implicat procedere actionem aliquam à creatura, quæ non exigit recipi in subiecto: ergo implicat à creatura procedere creationem, cuius conceptus quidditativus est independentia à subiecto. A priori potest desumi ratio ex natura agentis creati, quod ex ipso quod creatum est, est capax receptionis passivæ, & potest esse subiectum aliquorum accidentium, (quod intendunt, qui dicunt omne ens creatum esse immersum potentialitate, seu habere aliquid potentialitatis, & non esse purum actum) eo ipso quod in se sit capax receptionis principii est actionum, quæ in se sint receptiones, & subiectum exigant, in quo per se ipsas recipiantur. Ex quo provenit actionem immanentem procedentem à creatura debere recipi in proprio subiecto, non præcisè quia immanens sit, sed quia ex eo, quod sit actio procedens à principio receptionis capaci recipi potest, & eo ipso, quod sit immanens recipienda non est in subiecto distincto à principio; quibus sit in ipso principio recipiendam esse. Non me late plures solutiones, quæ possunt huic rationi adhiberi, quod attendas obsecro, si illam impugnes: verumtamen illa vtor, quia nullam aliam cum maiori probabilitatis specie invenire potui, & me cogit Doctorum, Patrumque consensus conclusionem traditam non deferere, quapropter dum aliam efficaciorē rationem non inuenio, licet non animus omnino huic acquiescat, disputationi super sedeo, nolo enim aliā destitutis hanc solutionibus, impugnationibusve inquietare.

12 Creaturas existentes non posse assumi ut instrumentum ad creandum mihi certum est. Non moueor ratione, quæ alij videntur, videlicet instrumenta debere aliquid præuium ad actionem operari, quod putant esse contra rationem creationis, quia falso dicunt quancumque præuiam operationem esse contra rationem creationis, plures enim dispositiones præcedunt ex parte materie ad animi rationalis creationem, cum hac enim tantum opponuntur dispositiones, quæ subiectum ad receptionem passivam terminari præparant. Secundo: quidquid sit de natura instrumenti inquiratur an possit dari creatura, quæ possit per modum principij inadæquati determinati à Deo concurrere ad creationem, addita à Deo non solum tanquam à causa prima, sed tanquam ab alio comprincipio inadæquato specialiter concurrente. Cui difficultati non satisfacit ex eo, quod instrumentum debeat aliquid præui operari, quia si hæc est instrumenti natura, non inquiri de instrumentalit, sed de causa inadæquata minus principali adiuta ab alia magis principali. Censeo creaturas de facto existentes non ita concurrere posse, neque posse eleuari à Deo ad creationem, quia illis innata, seu obedientialis virtus non est ad creationem. Vide dicta Controuersia 9. ubi probavi, non esse admittendas virtutes obedientiales in creaturis distinctas ab illis, quas à posteriori nouimus, & sine fundamento multiplicandas non esse, cum autem nullum sit fundamentum, ex quo possimus has obedientiales potentias in creaturis ad creationem agnosce-re, illas negare tenemur. De creaturis possibili-bus est difficultas an repugnet creatura cum potentia obedientiali ad creandum: in negatiuam partem feror, vix enim repugnantiam aliquam inuenimus respectu creaturæ naturaliter potentis creare, quod si velis adhuc repugnare potentiam obedientialem respectu creationis, dicito esse de conceptu actionis procedentis à quocumque principio creato etiam inadæquato, & obedientiali, exigere subiectum, in quo recipiatur, aliāve quære rationem, ego enim illam non inuenio.

PUNCTUM V.

De his, quæ possunt creari.

1 Materiam primam, & Angelum creari, est per se notum, cum enim materia prima subiectum aliud non supponat, non potest fieri ex præsupposito subiecto, eadem est ratio de Angelo, qui est entitas simplex, & com-

Franc. de Quiedo, Philosoph. tom. 1.

pleta non ordinata ad componendum aliquid totum constituendum ex ipso & ex præsupposito subiecto. Idem eademque ratione dicendum est de toto corporeo simplici: quod dari possit probavi Controuers. 5. Rationalem animum creari probat efficaciter illius incorruptibilitas, & independentia, quam habet à materia: item illius natura spiritalis, quæ naturaliter à subiecto materiali dependere non potest. Reliquas formas tam substantiales, quam accidentales educi ex præsupposita materia, siue sint res siue modi, est certum apud omnes, quod probavi Controuers. 3. Punct. 4. Patentur etiam omnes, formas substantiales & accidentales, quæ res sunt & non modi posse creari. Probant à paritate ex quantitate, quam sine materia credimus conseruari in Eucharistia, & consequenter per creationem, quia actio, ex vi cuius conseruatur nulum præsupponit subiectum. Huic rationi hanc à priori ferre omnes adiungunt. Formæ substantiales non educuntur per se & immediatè, sed media actione superaddita: ergo potesteductio separari ab illis, & loco illius substitui creatio. Acquiesco priori rationi, non huic posteriori, quam sic impugno. Ad hoc ut entitas creetur non solum requiritur ut non repugnet ex ratione eductionis cum illa non identificata, sed etiam necessaria est capacitas ex parte termini ad terminandam creationem, sed hæc non inferitur ex eo quodeductio non sit identificata cum termino: ergo ex distinctione eductionis à termino non inferitur ipsum posse creari. Rem declaro, & confirmo; ex eo, quod calor per vnionem superadditam vnatur subiecto, non inferitur, posse cuiusque subiecto vniri, neque posse quancumque vnionem terminare, & hæc est inepta consequentia: calor non vnitur per se ipsum media vnione ligno: ergo potest vniri Angelo: ergo non rectè inferitur, hic terminus non producit per se ipsum ab agente: ergo potest à quocumque produci, & quancumque actionem terminare, quam enim repugnantiam inuenies in entitate potente terminare diuersas eductiones superadditas incapaci terminandi creationem. Fateor plurimum conducere ut creari possit terminus, ipsum non esseeductum per suam entitatem, quia liceteductio distincta non inferat capacitatem terminandi creationem,eductio identificata, vel infert negationem capacitatis terminandi creationem, ut dicam postea, vel saltem illam difficiliorē reddit, ad hoc enim ut res per se ipsameducta creetur, requiritur posse simul educi, & creari, in quo multi repugnantiam esse defendunt, & simul requiritur posse actionem ad actionem terminari, & dari actionem actionis, quod implicare fert communis sententia. Concludo ergo formas omnes, quæ sunt res, & non modi posse creari, quia ex vna parte non repugnat ratione eductionis cum illis identificata, & ex alia parte capacitatem ex parte ipsarum ad terminandam creationem à paritate quantitatis colligere debemus, absque fundamento enim diceretur in formis materialibus & accidentalibus speciale esse quantitati posse actionem creatiuam terminare.

De formis modalibus poterat esse difficultas an possent creari, quæ si attentè inspicatur, leuissima est. Affirmo, modos, sicuti præsentiam, & vnionem aliove huiusmodi posse terminare actionem creatiuam: ita tenet Hurradus disput. 12. sect. 5. Moueor à paritate reliquarum formarum, quia in his non specialem repugnantiam inuenio, ut possint actionem creatiuam terminare. Quod ut explicem aduerto, creationem tantum dicere independentiam ab aliquo tanquam à causa materiali, non verò negationem connexionis rei creatæ cum alia. Quo posito sic arguo: si aliqua esset specialis repugnantia in formis modalibus, esset, quia per se ipsas dependent à re cuius sunt modi: sed dependentia, quam per se ipsas habent, non est tanquam à causa materiali: ergo non opponuntur cum creatione. Minorem probo, cetera patent: vnio integralis inter duas partes quantitatis tantum per se ipsam dependet ab extremis, & media passione superaddita à materiali, sed ab extremis non dependet tanquam à causa materiali, sed à materia prima, cui inhaeret: ergo dependentia identificata, quam habet illa vnio non opponitur cum creatione. Ex quo infero, vnionem integram quantitatis Eucharistie de facto creari, quia etiam dependeat ab extremis de facto non dependet ab aliquo præsupposito subiecto, quod exerceat causalitatem causæ materialis respectu illius, quæ tantum opponitur cum creatione.

B b 2

De

3 De modis aliis, qui per se ipsos afficiunt subiecta, ex quibus educuntur, & illorum dicuntur modi, sicuti presentia, & viuerim de omnibus modis sic probo. Presentia, quam de facto habet hæc quantitas dependet ab illa in genere causæ materialis: non per se ipsam, sed per passionem superadditam: ergo non est aliqua specialis ratio in presentia, neque in aliis modis, quæ non reperiatur in formis, quæ sunt res, propter quam non possit creari forma modalis. Antecedens probo: presentia quantitatis potuit prodici ab hoc, vel ab illo principio actiuo: ergo potuit dependere per hanc, vel per illam actionem à principio actiuo; forma enim indifferens ut dependeat à diuersis principiis indifferens est ut dependeat per diuersas actiones, quia non potest eadem actio à diuersis principiis procedere: ergo potest dependere per hanc, vel per illam passionem à quantitate: ergo non dependet per se ipsam à quantitate tanquam à causâ materiali: ergo non est specialis ratio in forma modalis, quæ non sit in formis realibus, propter quam non possit creari, cum non eo ipso, quod modus sit, per se educatur, licet per se dependeat dependentia connexionis distincta à dependentiâ quæ est in genere causæ materialis, quæ non est dependentia propriæ causalitatis; modus enim non præcise ex eo, quod sit modus in aliquo genere causæ dependet à re, cuius est modus, sed tantum habet cum illa connexionem strictam, ratione cuius neque de potentia Dei absoluta possunt separari.

4 Confirmatur: Passio mediæ quæ vnio recipitur realiter distinguitur ab illius vnione, quia presentia per se ipsam vnitur subiecto, & recipitur per passionem superadditam identificatam cum actione, ut probat manifestè ratio adducta ex diuersitate principiorum, à quibus actio eiusdem termini procedere potest: ergo non ex eo, quod non possit vnio modi ad rem, cuius est modus, separari ab illo, inferitur, non posse passionem ab eodem separari.

5 Dices ad creationem termini requiri independentiam non solum à subiecto, sed etiam ab omni quocumque alio. Contrâ: definitio creationis tantum dicit terminum produci ex nihilo, hoc est, ex nullo præsupposito subiecto: ergo dependentia à termino, seu ab alio, cum quo modus connexionem habeat creationi non obest. Confirmatur: in communi sententia materia prima non potest conservari sine forma, & nihilominus, quia ab illa non dependet per causalitatem causæ materialis, dependentia à posteriori, quam à forma habere dicitur non opponitur cum creatione materiæ: ergo creatio non dicit negationem cuiuscumque dependentiæ. Verge efficacius: Possibilis est actio terminata ad modum existentem, ex vi cuius non dependeat ab aliquo subiecto in genere causæ materialis, etiam si retineat connexionem essentiali, quam habet cum re, cuius est modus, vel si neges esse possibilem, illam tibi mente fingito: hæc actio non esseteductio, quæ essentialiter dicit dependentiam termini à subiecto: ergo esset creatio: ergo de ratione creationis tantum est constituere terminum independentem à subiecto, non verò illum constituere absolutum à quacumque alia connexionem.

6 Inquires, an creato modo vnionis composito diceretur totum compositum creatum. P. Vasquez 1. part. disput. 174. cap. 4. num. 18. negatiuam partem defendit, quia compositum illud fieret ex aliquo videlicet ex partibus. Feror in partem affirmantem, quia eatenus producit totum, quatenus producit vnio, & ex vi productionis vnionis dicimus totum esse productum. Sic homo, cuius partes creantur, & vnio gignitur, genitus dicitur: ergo si illius modus vnionis crearetur, totus homo diceretur creatus, etiam si per impossibile materia & forma hominis gignerentur, quia ut bene Hurtadus, illa dicitur totius productio, quæ est productio modi vnionis, qui est ratio formalis compositi, quo posito non potest non esse compositum. Potest etiam dici tunc compositum non creari, non quia fiat ex partibus, sed quia ratione formæ dependet à materia, de quo iterum Controversi. 2. de generatione, Punct. 1. ad finem. Ad rationem Vasquez respondeo, aliud esse totum constare ex materia & forma tanquam ex partibus componentibus, aliud fieri ex præsupposito subiecto, & illius actionem præsupponere subiectum tanquam causam materiale, & passionis subiectum. Primum competit essentialiter toti composito quod cum creatione non opponitur: secundum illi accidentaliter competit, quando vnio mediæ passionem producit, quæ non intercedet, si creetur vnio, & ita ve-

rum non erit actionem totius esse ex præsupposito subiecto, neque totum constare ex subiecto quod in genere causæ materialis mediæ passionem influit in totum, quod requiritur ad generationem, & creationi opponitur.

PUNCTVM VI.

An illa, quæ naturaliter creantur educi possint de potentia Dei absoluta.

Tota procedit questio de anima rationali, & de aliis formis, quæ naturaliter petunt per creationem produci, quia de materia prima, & de toto completo, Angelis, verbi gratia, certum est non posse educi ex subiecto, quia materia prima nullum potest supponere, neque totum adequatum, quod non ordinatur ad aliud componendum. De formis substantialibus possibilibus, & de anima rationali existenti inquiri potest, An possint formæ, quæ mediæ creatione distincta naturaliter producantur, ex potentia subiecti educi. Secundò an formæ quæ immediate per se ipsas creantur possint educi per aliam actionem superadditam. De omnibus absolute loquendo negat Hurtadus disput. 12. sect. 3. Oppositam sententiam tenent recentiores affirmantes posse formam etiam per se ipsam creatam educi simul per passionem superadditam, quia non opponuntur contradictoriè rem per se ipsam creari, & simul educi per aliquid superadditum. Mediæ teneo viam, quam iam explicabo.

Anima rationalis existens de facto educi non potest de potentia subiecti etiam si creetur per actionem superadditam. Ratio est: ad hoc ut anima rationalis possit educi, debet supponi ex parte ipsius animæ capacitas ad terminandam actionemeductiuam, & capacitas ex parte subiecti ad recipiendam talem formam mediæ passionem, sed nullum est fundamentum ad ponendam talem capacitem in anima rationali existenti, neque in aliquo subiecto ex his, quæ existunt: ergo non est ponenda iuxta regulam sæpe repetitam, videlicet non esse concedendam aliquam potentiam, seu prædicatum aliquod positivum rei existenti sine positio fundamentum. Confirmatur ratione adducta Puncti præcedenti, ubi dicebam non inferri ex eo quod res educatur mediæ actione superaddita posse creari: ergo neque inferitur ex eo quod mediæ creatione superaddita creetur posse generari.

Cum hoc compono possibilem esse formam spirituales naturaliter exigentem creari mediæ actione superaddita, quæ possit supernaturaliter educi ex potentia subiecti spiritualis, vel materialis, si non repugnat rem spirituales ex subiecto materiali educi. Hanc conclusionem probo ex eo, quod nulla sit repugnantia in eo, quod forma naturaliter exigens creationem possit educationem supernaturaliter terminare, sicuti non est repugnantia in eo, quod forma naturaliter exigens per generationem produci, possit per creationem supernaturaliter procedere.

Obiicit primò Hurtadus: Generatio est imperfectior creatione, sed quod est imperfectius non potest substitui loco perfectioris: ergo generatio non potest substitui loco creationis. Concedo maiorem, & nego minorem, quam gratis supponit Hurtadus.

Obiicit secundò: forma spiritualis per se ipsam est independentis à materia: ergo non potest ab illa dependere. Distinguo antecedens: per se ipsam petit esse independentem à materia, concedo antecedens per se ipsam habet independentiam, nego, quia supponimus produci per creationem superadditam, ex vi cuius supponitur independentia.

Obiicit tertio: Si illa forma educeretur ex potentia materiæ, viuens per illam constitutum non posset nutriri, quia indiuisibiliter à tota materia dependeret. Ne nutriatur dum forma esteducta contra propriam exigentiam, ex vi cuius creari debebat, quid tunc postea? Vel dicito posse nutriri per extensionem formæ ad nouam partem materiæ, à qua non dependeret.

Obiicit quartò: forma, quæ naturaliter creatur, est incorruptibilis, sed si dependeret à materia esset corruptibilis: ergo non potest ab illa dependere, aliàs eadem forma esset corruptibilis, & incorruptibilis. Respondeo negando minorem, quia forma illa, etiam quando esseteducta peteret creari, & casu quo deficeret actio ex vi cuius educeretur, semper illi esset debita creatio, ac proinde peteret non corrumpi.